

VIRO PRAECELLENTISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
IOANNI EHRENFR. IACOBO DAHLMANN
SVMMORVM IN IVRE HONORVM CANDIDATO DIGNISSIMO

S. D.

IOANNES CHRISTIANVS KOCH,
RUGIANVS L. V. C. OPPONENS,

*Quod sibi praecclare ac feliciter obtigisse non immerito omni tempore puer-
tabant viri honesti et liberalioris ingenii, ut sibi publici honores in
patria deferrentur, suisque prodesse ciuibus liceret, illud et TIBI acci-
disse, eximie laetor. Etenim dici vix potest, patria nostra quid vo-
luptatis habeat, nec dulcius quidquam dabitur, quam omne in eo stu-
dium omnemque laborem consumuisse, ut tales euaderemus, quales nos
aliquando euasuros esse ciues desiderio pleni exspectarunt. Quae quidem
felicitas et recte factorum conscientia quin TIBI euenerit, nunquam
nos dubitauimus, quod, quo minus fieret, plane impediuat communis
doctrinae laus, qua ciuibus TVIS iam pridem egregie innotuisti, et
quam praecclare etiamnum testatur publicum illud munus, quod ipsi TE,
solida TVA litterarum scientia freti, subire iubent. Quo si incolu-
mem TE fungi audilero, in eoque aequabili perpetuaque fortuna uti,
secundo vitae sine ulla offensione cursu, fore TIBI velim persuadeas,
ut hoc mihi gratissimum accidat. Si enim naturam hominum sequamur,
nihil ei magis conuenire videbimus, quam ut plurimum cuique
voluptatis adferatur, si tranquilla iis, quos amore et cultu prosequi-
tur, et placata omnia euenire videat. Simili ratione hoc et mihi in
votis erit potissimum, ut TIBI TVISQUE meritis fortuna quoquo-
modo respondeat. Quotiescumque vero TIBI ex voto omnia fluere
comperero, ipse ego tanta laetitiae voluptate perfundar, ut felicissimis
mihi videar esse adnumerandus. Neque, si eum, quo consueuisti, be-
neuolum amicumque erga me animum retinebis, tum mihi quidquam
deesse existimabo. Vale. Kiliae Holsat. a. d. XVIII. M. Septembr.
MDCCCLXXV.*